



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus Unicus. Argumentum. Beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici
vacantia per obitum Familiarium officialium, seu Familiarium Papæ an sint
Sedi Apostolicæ reservata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

quacumque beneficia, quæ sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium Familiares continui commensales obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ in eis competit, aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias recesserint = Sed quia pluries dubitatum fuit, quinam verè Familiares Papæ dicerentur; proinde tam Paulus III., quàm Julius III. declararunt hic esse veros Familiares Summi Pontificis omnes Referendarios, & alios Officiales ex Palatio Apostolico panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotæ, Acolytos, Scutiferos, Secretarios, Literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Milites S. Petri, reliquosque Officiales deservientes, & custodiam facientes in Palatio Romani Pontificis pro tempore existentis, nec non etiam omnes, & singulos Ecclesiarum Prælatos, solum ratione Personæ suæ; & non alicujus officii per eos pro tempore obtenti, panem ex Palatio Apostolico quotidie habentes; & eodem tempore confirmando præfatam Regulam reservarunt S. Sedi Apostolicæ omnia eorum beneficia etiam jurispatronatus, per eorum obitum in Romana Curia, vel extra vacantia. Idem Cubicularii, & Scutiferi, ac Milites S. Petri declarati etiam fuerunt verè Familiares, & continui commensales Papæ à Leone X. *Constit.* 14. & 36. Milites S. Pauli, à Paulo III. *Constit.* 5. & 16. Milites Lauretani, Conclavistæ, Commissarius Cameræ, Thesaurarius Dataria, Auditor Cameræ, Confidentiarum à Sixto V. *Constit.* 32. 35. 44. 47.

Quo ad hanc conclusionem sequens differitur Casus.

ARGUMENTUM.

Beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici vacantia per obitum Familiarium Officialium, seu Familiarium Papæ an sint Sedi Apostolicæ reservata.

SUMMARIUM.

- 1 Familiaritas ad effectum inducendi reservationem est concludentissimè probanda; Et quare vide nu. 2.
- 3 Quem non esse Familiarem colligitur ex eo quod ejus nomen non sit appositum in Albo, seu Rotulo Familiarium.
- 4 Ad constituendum aliquem Familiarem ad effectum Regulæ quartæ Cancellariæ necessario intervenire debent Mens, & Dens. Intellige, ut nu. 8.
- 5 Quis dicatur Familiaris? Vide ibi.
- 6 Servitium propriè, & immediatè non respiciens Papam, an efficere possit Familiarem Papæ?
- 7 Beneficium jurispatronatus Ecclesiastici vacans per obitum Familiaris Officialis, seu Familiaris Papæ, est S. Sedi reservatum.
- 9 Milites Lauretani, Referendarii, Secretarii Apostolici, Scriptores Apostolici Pars VI.
- Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes inter Familiares Papæ adscripti sunt.
- 10 Inserviens inservienti Papæ, & viventi expensis Papæ dicitur saltè mediatè inservire Papæ, & vivere hujus expensis.
- 11 Beneficia Patronalia; ad quæ Familiaris Papæ habet jus ad rem irrevocabiliter per præsentationem Patroni Ecclesiastici sunt ex capite Familiaritatis Sedi Apostolicæ reservata.
- 12 Beneficia Germaniæ ad hoc, ut sint affecta Sedi Apostolicæ ratione Familiaritatis, requiritur Familiaritas vera, non verò acquisita ex Privilegio, & per modum fictum; Et nu. 20.
- 13 Arbitrium regulari debet ad tramites juris.
- 14 Probatio primæ Dignitatis in Collegiata, ex quibus resultet? Vide ibi.
- 15 Ea, quæ circa beneficiorum qualitatem sunt exposita Summo Pontifici, sunt justificanda juxta statum vigentem de tempore impetrationis.
- 16 Observantia est optima mentis, & intentionis interpret.
- 17 Simplex fides est irrelevans ad faciendam probationem.
- 18 Assertioni Vicarii Generalis, aut Magistratus est deferendum.
- 19 Qualitas primæ Dignitatis in Archidiacono an excludatur ex eo, quod ipse sit Canonicus

nonicus, vel ex eo, quod Sedes Apostolica nunquam Archidiaconatum contulerit? Vide ibi.

21. Non facta electione Decani à Capitulo in tempore, jus illum liberè conferendi devolvitur ad Episcopum.

CASUS UNICUS.

VAcato beneficio de jure patronatus Ecclesiastico per obitum ejus, qui erat de familia cujusdam Familiaris Papæ; Ordinarius illud contulit cuidam Sacerdoti ad præsentationem Patroni; è contra autem paucos post dies fuit idem beneficium ab alio Sacerdote impetratum in Dataria tamquam de reservato, ex dispositione Regulæ quartæ, & horum Canonum; Quæritur proindè in hoc casu, an dictum beneficium sit reservatum; vel potius ejus provisio spectet ad Ordinarium.

- Primo aspectu dicendum videtur hujusmodi beneficium reservationi Apostolicæ in præsentiarum minimè esse subiectum; Quando quidem præmissis, quod Familiaritas concludentissimè sit probanda, vel per Rotulum, seu librum, in quo describuntur omnes Familiares; vel per aliquam dispositionem Domini, vel per Testes, ad effectum inducendi reservationem. *Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 57. n. 109. Tondut. quæst. benef. tom. 1. par. 2. cap. 3. §. 3. n. 11. Adden. ad Ludovif. decis. 166. nu. 10. & ad Burat. decis. 255. n. 18. & seq. Rot. decis. 832. per tot. par. 3. divers. & decis. 517. n. 3. cor. Cavaler. & decis. 268. nu. 5. cor. Ubaldo, & decis. 888. n. 34. cor. Coccin. & decis. 626. n. 4. coram Emerix jun.* Ea ratione quia præjudicium infertur illi, cui beneficium collatum est, vel conferri potest ab eo, ad quem de jure spectat collatio. *Mascard. de probat. conclus. 755. n. 8. & seqq. & n. 25. Rot. decis. 584. n. 1. par. 1. rec. & decis. 257. nu. 8. par. 12. rec. & decis. 36. n. 5. post. Zachiam de salar. & decis. 626. n. 4. coram Rembold. & decis. 35. n. 3. cor. Emerix sen.*

3. Tantùm abest, quod à Provisio Apostolico probetur in præsentiarum Familiaritas, quod potius clarè ostenditur, & resultat defunctum Familiarem Familiaris Papæ nullatenus fuisse Familiarem Papæ, non solum, quia ejus nomen non fuit ap-

positum in albo, seu rotulo Familiarium Papæ. *Rot. in Hispalen. beneficii de Xeras 14. Martii 1603. apud Marchesan. de commiss. tom. 2. pag. 468. & decis. 228. num. 1. cor. Buratt. & decis. 373. nu. 4. cor. Coccin. & decis. 584. nu. 6. & seqq. par. 1. recent.*

4. Verùm etiam, quia ad constituendum aliquem Familiarem ad effectum Regulæ quartæ Cancellariæ, & horum Canonum necessariò intervenire debent Mens, & Dens, servitium scilicet, & salarium. *Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 2. §. 2. n. 34. & seqq. Tondut. quæst. benef. par. 2. cap. 3. §. 3. nu. 11. Rot. decis. 584. nu. 3. par. 1. rec. & decis. 257. n. 8. par. 12. & decis. 33. n. 5. par. 17. rec.* Et quidem servitium respicere debet cultum Personæ Domini, & salarium debet esse sufficiens pro victu, dum Familiarem oportet vivere expensis Domini, & ille tantummodo sit Familiaris, qui in domo Domini recipit victum tam in pane, & vino, quàm in aliis ad vitam necessariis, vel qui habet in pecunia quantum ad prædicta opus est, ita ut non sufficiat habere aliquam partem panis, & vini. *Text. in cap. final. de verb. signific. in 6. ibique Joann. Andr. nu. 2. Ancharan. nu. 3. ubi quod merces ad minus satis esse debet pro victu, Simonett. de reservat. quæst. 35. nu. 22. Gratian. discept. for. 257. n. 41. Card. de Luc. de benef. disc. 6. n. 7.*
6. Non adest in hypothese Mens, seu servitium; quia defunctus serviebat Familiari Papæ, non autem ipsimet Papæ, & consequenter hujusmodi servitium, cum propriè, & immediatè non respexerit Papam, Familiarem Papæ efficere non potuit. *Zacchi. de salario quæst. 30. num. 3. & seqq. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 32. nu. 4. & seqq. Ventrigl. in prax. benef. par. 2. annot. 2. §. 2. n. 35. vers. vel si quis, Card. de Luc. de benef. disc. 6. nu. 8. Rot. decis. 128. n. 90. cor. Sperell. & decis. 255. n. 2. coram Buratt. & decis. 526. n. 5. & dec. 555. n. 6. cor. Emerix jun.* Deficit etiam Dens, seu salarium; quia Pontifex nihil panis, & vini, aut alterius æquivalentis necessarii ad victum, ipsi tribuebat; Unde deficit Familiaritas, & consequenter etiam reservatio in his Canonibus præscripta; adeò ut Literæ Apostolicæ impetrationis hujusmodi beneficii exequendæ non sint, sed potius sustinenda veniat provisio facta ab Ordinario ad præsentationem Patroni. Verùm

7 Verum his posthabitis cenfeo præfatum beneficium esse Sedi Apostolicæ reservatum. Etenim in primis quamvis ad constituendam familiaritatem Cardinalium, juxta auctoritates superius relatas, ex necessitate probari debeant Mens, & Dens, servitium videlicet respiciens personam Domini, congruamque pro victu salarium, ad constituendam tamen Summi Pontificis familiaritatem satis est, quod ipse afferat aliquem pro Familiari habendum esse, tunc enim absque eo, quod hic vivat expensis Papæ Familiaris est, & ad privilegia familiaritatis admittitur. *Simonett. de reservat. quest. 35. nu. 25. Mandos. in regul. 13. Cancell. quest. 18. nu. 9. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 57. nu. 106. Garz. de benef. par. 5. cap. 1. §. 5. nu. 273. Gonzal. ad Regul. Cancell. gloss. 51. nu. 26. Castropal. Oper. Moral. par. 2. tract. 13. de benefic. punct. 19. nu. 7. in fin.* Et de facto Milites Lauretani, Referendarii, qui solum à Palatio habent panem honoris, Secretarii Apostolici, Scriptores Apostolici, Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes, quorum non nulli nihil percipiunt, non nulli habent tantummodo suorum officiorum emolumenta, inter Familiares Papæ ad effectum reservationis beneficiorum adscripti sunt ex dispositione horum *Canonum*.

Deinde etiam per hypothesein admissio, quod pro familiaritate Papæ consequenda requirantur Mens, & Dens, seu servitium, & salarium, nihilominus tamen in præsentiarum utrumque concurrat; Superdicitur namque Familiaris Papæ inservit ipsi Papæ; & vivit expensis Papæ. Unde defunctus, qui inserviebat huic Familiari, & vivebat expensis illius, dicitur saltè mediata servitium præstitisse Papæ, & vixisse expensis Papæ; quod servitium, & salarium mediata præstitum à Papa, sufficit ad constituendum Familiarem Familiarem Papæ, Familiarem etiam ipsiusmet Papæ: ad effectum, ut illius beneficia cadant sub reservatione, ratione Familiaritatis, ut expressè tuentur *Simonett. de reservat. Benef. quest. 35. nu. 11. Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 32. n. 6. ibi* Et alterum, quod eidem reservationi subjaceant beneficia Familiarium eorundem Officialium, licet enim non possint videri tales

Familiares Officialium, propriè, & immediatè Familiares ipsius Papæ &c. à jure tamen non abhorret, eos tales esse mediata, atque (ut ita dixerim) quasi Familiares, ex reflexione servitii, quod præstant propriis Dominis in servitium ipsius Papæ = *Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 57. nu. 107. ibi* = *Procedit in Familiaribus Familiarium habentibus partem, seu expensas ab ipso Papa, quia serviendo Familiaribus Papæ dicuntur illi servire* = *Imò, ut expressè docet Garz. de benef. par. 5. cap. 1. §. 5. n. 209. sunt reservata S. Sedi ex capite Familiaritatis, etiam ea Beneficia Patronalia, ad quæ Familiaris habet jus ad rem irrevocabiliter per præsentationem Patroni Ecclesiastici, etiam si non habeat illorum possessionem.*

12 Nota hic, quo ad beneficia Germaniæ, quod ista, ad hoc, ut sint affecta Sedi Apostolicæ ratione Familiaritatis, requirant, quod Familiaritas sit vera, non verò quod sit acquisita ex privilegio, & per modum fictum, ut esset illa acquisita ratione Protonotariatus, qui non esset de illis septem participantibus, aut ratione Conclavistæ; ea ratione, quia Nicolaus V. in ejus Bulla super concordatis Germaniæ edita exceptuavit Beneficia dumtaxat *verorum Commensalium*, ut novissimè declaratum fuit à S. Rota in *Monasterien. Decanatus 17. Junii 1718. §. Exclusa coram R. P. D. Foscaro*; quæ ita se habet.

R. P. D. F O S C A R O

Monasterien. Decanatus.

Mercurii 17. Junii 1718.

EX duplici titulo, altero nempe, quod Decanatus Collegiatae Ecclesiæ S. Remigii Oppidi Borcken. tanquam prima Dignitas caderet sub reservatione *Regule 4. Cancellariae*; Altero verò, quod esset affectus S. Sedi utpotè vacans per obitum Joannis Ludgeri Protonotarii, & Conclavistæ. Gaspar de Callembergh illum à Sanctissimo Domino impetraverat, & successivè Literarum Apostolicarum executionem reportaverat. Verum causa mihi in gradu appellationis ad instantiam Melchiorris Theodori Wiedembruck in partibus à Celsissimo Monaste.

nafterien. Episcopo Provisi, delegata cum clausula *Parizo literis arbitrio Rota* = dedi dubium = *An intraret arbitrium pro retardatione literarum Apostolicarum, seu potius Decanatus adjudicandus esset Melchiorri* = compertaque per DD. meos insubsistentia utriusque fundamenti per Gasparem ad obtinendam collationem expositi responsum fuit = *Intrare arbitrium, & Decanatum adjudicandum esset Melchiorri* = cum jus ad cuius trami-
 13 tes regulari debet arbitrium *Gloss. in l. qualem verb. videtur ff. de recept. arbitr. Rot. in recent. dec. 73. num. 1. & in Cracovien. Parochialis 4. Februarii 1705. S. Cum enim coram bon. mem. Caffarello. Executioni demandari non sinat literas, quatenus ab Impetrante non verificarentur expressiones illæ, quæ Summum Pontificem ad collationis actum impulerant cap. ad audientiam il 2. ibique Abb. num. 5. Felin. n. 22. de rescript. Garz. de benef. par. 5. cap. 3. num. 3. Rot. coram Otthobon. dec. 132. n. 4. in recent. dec. 148. num. 12. par. 19. & in Leodien. Canonatus die 23. Januarii 1711. S. Arbitrium enim coram Eminentissimo Scotto.*

Et quidem probatum dici non poterat, quod Decanatus foret prima Dignitas
 14 ejusdem Collegiatae Ecclesiae, dum oppositum potius, eam scilicet esse secundam, convincebatur, tum ab actu hujus Ecclesiae erectionis in Collegiatam, in quo Executor in Bulla san. me. Eugenii IV. designatus pro prima, & principali dignitate, ac tanquam Praepositum constituit Archidiaconum, & pro secunda Decanum, quo stante superflua dici possent caetera omnia argumenta hujus assumpti comprobativa, ut in specie probat *Lotther. de re benef. lib. 2. quest. 33. num. 31.* Tum ab actibus jurisdictionalibus & praeminentialibus per Archidiaconos semper, & pacifice exercitis, ut testantur Vicarius Generalis, Monasterien., & Magistratus, Senatusque Borcken.; Unde optima quoque descendit prima Dignitatis probatio, ut quoad Jurisdictionem *Archid. in cap. 1. n. 2. de consuet. lib. 6. Fagnan. in cap. ad haec de praebend. nu. 34. & seqq. Lotther. de re benef. lib. 2. quest. 33. num. 53. Rot. decis. 9. de praebend. in noviss. & quoad praeminentiam Fagnan. loc. cit. n. 32. Lotther. di-*

cto cap. 33. num. 50. Adden. ad Ludovis. dec. 411. sub n. 5. Grammatic. dec. 64. n. 20. & seqq. Panimoll. dec. 1. adnot. 6. num. 33. Rot. coram Bich. decis. 312. numer. 16. Tum denique ex electionibus Decanorum cum successiva Ordinarii approbatione continuo à Capitulo expletis à tempore erectionis ad praesens, quæ utique non evenissent si Decanus primam Dignitatem in Collegiata obtineret, ut ad rem ponderant *Garz. de Benef. par. 5. cap. 5. nu. 262. Mandos. ad regul. 3. Cancell. quest. 3. sub n. 2. Barbof. de Canon. & dignit. cap. 13. nu. 56. Card. de Luc. de Benef. disc. 13. nu. 3. Rot. in recent. dec. 633. nu. 2. & 3. part. 4. tom. 3. dec. 143. num. 2. part. 7. dec. 49. n. 6. & dec. 299. n. 13. p. 10. dec. 476. n. 3. par. 18. & dec. 566. num. 13. par. 19.*

Quinimò cum ex hisce electionibus, ac etiam ex eo, quod Sedes Apostolica nunquam ex hoc capite Decanatum contulerit, quamvis non deerint, qui illum ex aliis reservationibus impetraverint, ut patebat ex decisionibus editis in *Monasterien. Decanatus 18. Junii 1706. coram R.P.D. meo Lancetta; 26. Aprilis 1709. coram bon. me. Caffarello, & 13. Januarii 1710. coram eodem*, necnon à superius enunciatis actibus praeminentiam, & Superioritatem denotantibus, incontrovertibile reddatur Decanatum non reperiri de praesenti in statu, & figura primæ Dignitatis, sed tamen esse inferiorem Archidiaconatus; hinc absque ulteriori
 15 indagine, inexecutable remanebat gratia per Gasparem reportata, cum ea, quæ circa Beneficiorum qualitatem, & differentiam Summo Pontifici exponuntur justificanda sint juxta statum vigentem de tempore impetrationis, *Lotther. de re benef. lib. 2. quest. 45. n. 1. & seqq. Rot. coram Bich. dec. 312. n. 18. in Leodien. Canonatus 23. Januarii 1711. S. Arbitrium coram Eminentissimo Scotto; & in Osnaburgen. Canonatus 26. Februarii 1717. S. Numerando coram eodem.*

Proptereaque inutiliter objiciebatur, quod san. me. Eugenius IV. in Bulla Erectionis mandaverit *Rectoriam, seu Plebanatum nominandam, & censendam pro Prelato, qui Capitulo, & personis ipsius erigenda Ecclesia praesit, & praesideat &c.* quodque de facto Executor de anno 1433.
 di-

dictam Rectoriam, seu Plebanatum in Dignitatem exerit; Nam quatenus exindè contendebatur, Executorem nequivilisse imposterum de anno scilicet 1439. in præjudicium Juris Rectori jam quæsi instituere pro prima Dignitate Archidiaconatum, & pro secunda Decanatum ab ipso Rectore obtinendum, objectum penitus irrelevantis convincebatur nedum quia Summus Pontifex circa Dignitatis erectionem non simpliciter disposuerat, sed etiam totaliter Executoris arbitrio remiserat ibi = *prout tibi melius, & utilius videbitur* = unde evenit, quod idem Executor licet de anno 1433. Plebanatum exerit in Dignitatem, & tamen nullam assignaverit denominationem, aut præminentiam usque ad annum 1439. quo novis superventis Literis Apostolicis ampliores facultates præferentibus, & omnia per Executorem tam facta, quàm facienda confirmantibus. Reassumpta, & conclusa extitit erectionis executio, demandatumque fuit inter cætera, quod Archidiaconus primam, & principalem obtineret dignitatem; secundam verò Decanus; qua retenta facti serie, quemadmodum pro perfecta executione accipi nequiverat actus anni 1433., qui pleniorum requirebat declarationem, & conclusionem ad tradita per *Tondut. de pensonib. quæst. 49. num. 23. Paris. de resignat. lib. 1. q. 12. nu. 25. Gigas de penson. quæst. 9. Ros. de execut. liter. Apostolic. cap. 9. sub n. 18.*, ex quo præterea nullum Plebano circa præminentiam dici poterat jus quæsitum, cum tunc Executor nihil de ea disposuerit, sed provisiones, & ordinationes sibi imposterum reservaverit, ut firmant *Tondut. resolut. benefic. par. 2. cap. 4. §. 2. n. 10.* quem sequitur *Ros. de Executor. Liter. Apostol. cap. 4. n. 24.* ita actus anni 1439. de ultro neitate redargui non poterat, utpotè gestus continuativè ad actum anni 1433. & in Complementum, & terminationem executionis tunc temporis inchoatæ, ut ad propositum animadvertit *Ros. mox cit. par. 1. cap. 9. n. 34. Rot. coram Coccin. decis. 1721. n. 42. coram Peusinger. dec. 198. n. 9. & in Baren. Beneficii 12. Decembris 1712. §. Quin revocari valeat vers. sive quia actus coram Reverendissimo Aldrovando, junctis præsertim novis Literis Apostoli-*

cis, quæ in omnem casum pro ulteriori executionis processu illius jurisdictionem instaurassent, *Butr. in cap. inter dilectos sub num. 13. de fid. instrum. Rebuff. in concord. in rubr. de prorog. dilat. vers. item Jurisdictio Card. de Luca de alienat. d. sc. 23. sub n. 6. & 7. Rot. in rec. dec. 180. num. 21. & seq. p. 18.*

Verùm etiam, & fortius quia cùm omnia per Executorem de anno 1439. de
16 mandata plenarium, & pacificum fortita fuissent effectum, adedut nemo unquam reclamaverit, irritus nunc reddebatur conatus revocandi in discrimen ejus facultates, & sub specie sanioris intelligentiæ revolvendi, pervertendique quidquid vetustissima, & constans observantia probaverat, cùm hæc præcisivè etiam à vi præscriptiva in linea saltèm interpretativa superlativum præbeat argumentum, quod non dissimilis extitisset intentio Summi Pontificis, licet per hypothesein contrarius intellectus verior de Jure censeretur posset, *Rot. in rec. dec. 144. n. 5. & seqq. par. 14. & in Romana Jurispatronatus 14. Decembris 1705. in fine coram Reverendissimo Molines.*

Nec contrarium suaderi poterat, ex quo Archidiaconus nullos haberet redditus, nec stallum in Choro, aut vocem
17 in Capitulo. Nam simplex fides per Gasparem ad horum probationem exhibita ultrà propriam irrelevantiam *Bald. in leg. 1. n. 16. Cod. de serv. fugit. Rot. coram Celfo dec. 280. n. 4. & in Bononien. Societatis 14. Martii 1707. §. Non attento coram bon. mem. Omanna,* penitus subversa remanserat ex contrariis documentis per Melchiorrem productis distinctè referen-
18 tibus redditus Archidiaconales, illiusque præminentiam in Choro, & cæteris Functionibus Ecclesiasticis, quæ sanè præponderant, utpotè procedentia à Vicario Generali, & Magistratu Borcken., quibus ratione officii, & dignitatis magis deferendum est, *Rot. cor. Emer. Junior. dec. 880. num. 1. in Neapolitana Jurium Parochialium 3. Martii 1711. §. Agnoverrunt cor. Reverendissimo Decano, & in Sutrina Præcedentiæ 19. Febr. 1714. §. Hujus autem cor. R. P. D. meo Crispo.*

Multoque minùs ab Archidiacono excludebatur qualitas primæ Dignitatis, ex quo ipse esset Canonicus Cathedralis
Mo-

Monasterien., vel demum ex eo, quod Sedes Apostolica nunquam Archidiaconatum contulerit, prout contulisset, si esset prima Collegiata dignitas; Namque ad primam objecti partem satisfecit responsio, quod in Jure non repugnat, Canonicum Cathedralis retinere etiam primam dignitatem in Collegiata, ut punctualiter tradunt *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 10. num. 28. & gloss. 51. num. 55. Garz. de benef. par. 4. cap. 1. n. 260. Lotther. de re benef. lib. 2. q. 33. num. 22. & seqq., Rot. coram Bich. dec. 312. à num. 33.* Et quoad defectum Collationum Apostolicarum Domini censuerunt exinde certam non descendere probationem exclusivam primæ dignitatis, cum id contingere valuisset ex tenuitate reddituum non excedentium flor. 10., qua stante, locum non habet reservatio regulæ 4. ut testatur *Rot. in recent. dec. 236. n. 1. part. 7. coram Ottobon. dec. 240. n. 29. & in Urgellen. Canonatus 4. Maji 1703. §. Neque, in hoc coram bo. mem. Kaunitz.*

Exclusa hinc reservatione petita ex qualitate Beneficii eo minus sustineri poterat impetratio, ex qua Joannes Ludgerus præcedens Possessor Decanatus fuisset Protonotarius Apostolicus, & Conclavista. Protonotarius enim, nisi sit de illis septem participantibus, affectionem in Beneficiis Germaniæ minimè inducit, ut clarè disponitur in concordatis de quibus in specie *Fabr. de Protonot. cap. 12. num. 20. Francescn. variar. resolut. cap. 3. num. 21. Lotther. de re benef. lib. 2. quest. 28. num. 65. & seq. Rot. coram Martino Andrea dec. 100. num. 5. & per tot. decis. 303. part. 2. divers. & in Leodien. Canonatus 14. Martii 1710. §. Nec etiam coram R. P. D. meo Falconerio; Idemque procedit quoad Conclavistas; Nam licet hi dicantur familiares, & Commensales Summi Pontificis *Gomez ad regul. de im-**

petran. Benefic. vacan. per obit. Famil. Card. q. 13. n. 1. Rot. cor. Coccin. dec. 1060. n. 6. Hæc tamen familiaritas, & commensalitas acquiritur ex privilegio, & per modum fictum, ut omissis generalibus, probant in puncto *Tondut. quest. Benefic. part. 2. cap. 3. §. 3. n. 15.* Quamobrem cum in Bulla Nicolai V. edita super concordatis Germaniæ exceptuata legantur Beneficia dumtaxat *verorum Commensalium, & aliorum 24. Cappellanorum in Epitaphio descriptorum* = hinc comprehensa dici non possunt Beneficia possessa per Conclavistas, qui & si ad alios effectus dici valerent Commensales, & Familiares Papæ, verè tamen tales non sunt, prout requireretur ad effectum, ut reservata dicantur Beneficia Germaniæ, ut probant in terminis Concordatorum *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. Gloss. 25. num. 22. & gloss. 51. n. 26. & 27. Rot. coram Seraphin. dec. 1251. n. 18. & 19. & dec. 305. num. 2. & 3. part. 2. divers. & in dicta Leodien. Canonatus 14. Martii 1710. coram R. P. D. Falconerio §. Nec etiam.*

Probata ex his subreptione, & in exequibilitate literarum per Gasparem obtenturum, optimo Jure descendendo ad secundam dubii partem conclusum fuit, Decanatum adjudicandum esse Melchiorri, qui Collationem reportaverat à Celsissimo Episcopo, cui effluxo jam semestri, intrà quod ad Capitulum spectabat electio, libera, & plena devoluta fuit facultas conferendi *Garz. de benef. part. 7. cap. 15. num. 10. Card. de Luc. de Jurepatron. discurs. 84. num. 4. Rot. in Hydruntina Cappellania 10. Maji 1697. §. Neque obstat coram Reverendissimo Conchen. & in Leodien. Pastoratus, seu Vicarie Sancti Phoillani 13. Maji proxime præteriti §. Primo coram me.*

Et ita utraque &c.